

1
2
3
4
5
6
7
8



1700.

1. ^{a, b, c} Beyerus, Georgius: De concubitu intra
tempus luctus
2. Buchardus, Johannes: De officio humanitatis
morsibus exhibendo.
3. Emdel, Christianus Musicius: De usu historiarum natu-
ralis exoticis-geographicarum in medicina.
4. Gumprechtus, Johannes Pantus: De obligatione hominis
erga patriam.
5. Hlzigius, Godefridus Nicolaus: De veterum indulgentiis
purchatis, cum modernis jure aggratiandi.
6. Mayer, Jo. Jacob: De εὐδαιμονία in moralibus.
7. Moertius, Christianus Godefridus: An et quatenus filii
familias Senatus Consulto Macedonico utentes
liberi sint in conscientia?
8. Aures; Musicius Augustinus: De diaconibus mi-
nistriis ecclesiarum

9^{it} = Schreiterus, Christophorus: Utrum ille, qui sub
praesentia alicujus juris bona quaedam a defuncto
hactenus possessione jacente hereditate occupat, in
iudicio possessionis sit preferendus haeredi possessorio
vis. Defuncti. 2. Simple.

10. Spondanus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatio XII.
De fine et effectu feudi quoad dominium.

11. Spondanus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatio X.
De feudali praescriptione

12. Spondanus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatio XI.
De successione feudali

13. Spondanus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrations j. R. Insuperatio VII.
XIII. De effectu feudi quoad vasallum.

1700.

14. Lindenboerfferus, Barthol. Lenzburg: Amuletarius
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Inveritales XIV.
De rebus feudibus.

15. Weidlingius, Antonius: . . . Controversiae juris
publici Rom. Germanici Constitutionem illustrantes

1701.

1. Mert, Gottlieb: Fundamenti legis naturalis brevis
evolutio.

2. Barthius, Gottfriedus: De successione foeminarum
in feudis, earumque exclusione per masculos.

3. Hoepfer, Tobias: Num ecclesiarum licet
gerere capillamentum?

4. Menck, Ludovicus: Programma, quo ad ventile-
tionem publicam Disputationum XVIII ecclesiarum

Controversiarum selectarum juris civilis . . .
suscipiendarum . . . juris studiorum invit.

174.

5. Mecklenius, Ludovicus: De consuetudinibus parentum
inter liberos in privilegio conditis.
6. Ritter, Andreas: De juramentis, quae falso h
inc non obligantia
7. Schmidtus, Johannes: De coronis casibusque imp
mris in sacrificiis usn.
8. Schmitt, Dr. Ludov. : De silentii moralitate.
9. Sventen d'aefferus, Barthol. Leonhardus: Anus latius
juris feudalis et lucubrationes j. R. Inscrutatio 15.
De contrariis feudi.
10. Sventen d'aefferus, Bartholomaeus Leonhardus: Anus.
latius juris feudalis et lucubrationes j. R.
Inscrutatio XVI: De iudicio feudali.
11. Weidlingius, Christianus: De testamentis, quae p
rentes in privilegio Nov 107. inter liberos suos con
dere possunt.

Da Domine Incrementum!

RESOLUTIONEM

QUÆSTIONIS JURIDICÆ,

UTRUM ILLE,

QUI SUB PRÆTEXTU ALI-
CUJUS JURIS BONA QUÆ-
DAM A DEFUNCTO HACTENUS
POSSESSA JACENTE HÆREDI-
TATE OCCUPAT, IN JUDICIO POSSESSORIO
SIT PRÆFERENDUS HÆREDI
POSSESSORIS DEFUNCTI?

MAGNIFICI

JCTORUM ORDINIS

Indultu,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO SCHREITERO,

J. U. D.

Placido Eruditorum examini

submittit

AUTOR

JOHANN Gottlob Hennichy /

Budissa Lusatus,

Ad diem V. August. M DCC.

LIPSIÆ,

Typis IMMANUELIS TITIL.

XII.

5.

1700, 9a

11


P A T R I B U S
INCLUTÆ BUDISSÆ,
V I R I S
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS
ET PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS
CONSULIBUS,
SYNDICO,
PRÆTORIBUS,
CAMERARIIS &
SENATORIBUS,
Quibus Themis & Pietas cordi, Plebs & Curia
curæ sunt,


per
præfens hoc specimen Academicum
Symbolicam

sui ipsius, studiorumque suorum traditionem
mente submissâ, manuque grata
præstat,

JOH. Gottlob Hennicke.



§. I.



Non leviter dissonare invicem videntur regulæ, quæ in jure Romano obviæ Possessionis indolem ac conditionem determinant. Duas tantisper hujus argumenti regulas, ad quæstionem proxime exponendam aditum opportunum pollicentes, speciminis loco conferre volumus.

Secundum Labeonis & Pauli opinionem, in *l. 3. §. 5. ff. de acquir. l. amitt. poss.* In summa possessionis non multum interesse perhibetur, *juste quis, an injuste possideat.* Imperator verò Constantinus in *l. 10. C. de acquir. l. ret. poss.* statuit: *Neminem ambigere, possessionis duplicem esse rationem: aliam qua jure consistit, aliam qua corpore &c. non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat; tamen ex interposita contestatione, & causa in judicium deducta super jure possessionis vacillet ac dubitet.*

§. II.

Possessionem quoad principia productiva Facti esse, ratione effectuum Juris esse, satis nota est distinctio, à Zasio, Brunnemanno & aliis Doctoribus passim adhiberi

solita; quæq; in se considerata utcunque admitti potest; utrum autem ea nervum hujus doctrinæ tangat, textuumque anteriorum dissonantiam omnimodo tollat; de eo quidem valde dubito. Dignum proinde videtur argumentum, quod ex jure Romano alius paulo deducatur.

§. III.

In Legibus XII. Tabularum, ceu primo juris Romani fonte, possessionis jus fuisse prætermissum, res ipsa loquitur; neque enim ulla hoc jure lex, aut ad eam se referens actio de hinc fuit prodita, qua rei alicujus possessionem directò & absolute persequi licuit; & tum quidem temporis facti, non juris, possessionem fuisse, manifestè apparet. Postquam autem prætores defectum juris civilis, ut in aliis partibus, sic & in hac parte per interdicta suppleverunt, & jus possessionis pro temporum varietate concinne ordinarunt; ut nullus facile casus posset existere, qui non inter adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis circulos contineretur; Postquam & his interdictis antea annis ex Lege, quam A. U. C. 686. C. Cornelius Tribunus plebis tulit, juris perpetui autoritas collata fuit; ut ratione possessionis etiam actiones utiles seu extraordinariæ ex Interdictis redderentur §. f. J. de Interdict. Rubr. ff. de Interdictis sive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt. confer Eberlinum ad tit. ff. de Orig. Jur. cap. 10. §. 8. Ex hoc certe tempore (ut de Imperatorum Constitutionibus & juris Cañonici placitis, quæ postea accesserunt, jam nihil dicam) quod aliam formam in foro Romano nacta fuerit possessio, nemo inficias ire poterit. Hoc in statu cum universum jus prætorium, & cum hoc jure jus possessionis consisteret; Trebatius, qui Imperatori

tori

tori Augusto & Ciceroni admodum familiaris, & inter præcipuos illius ævi Jurisprudentes relatus fuit, hanc regulam primùm in foro Romano tradere cœpit, *posse alium juste, alium injuste possidere*, referente Paulo in *l. 3. §. 5. ff. de acquir. l. omitt. poss.* Ast Labeo, qui sub eodem Imperatore Augusto proxime post Trebatium floruit, sicuti in aliis quæstionibus, ita & in hac regula occasione à Trebatio dissentiendi, imo reprehendendi eundem arripuit, & hanc Labeonis censuram non tantum Paulus expresse, sed & Digestorum Compilatores tacitè approbant, in *d. l. 3. §. 5. ff. de acquir. l. omitt. poss.*

§. IV.

Verum enim verò *an Trebatius à Labeone juste fuerit reprehensus, & an Labeonis sententia juri Romano tum temporis constituto consona, & procedente tempore firmiter recepta perseveraverit?* non frustra porro disquiritur. Sensus regulæ, quam Trebatius in dicta *l. 3. §. 5.* posuit, planus & perspicuus est. Putat quippe, possessionem duplicem habere statum, alterum *physicum & mere naturalem*, qui corpus rei afficit, alterum *legalem*, qui jus concernit, & animo æstimatur: Hac proinde ratione rei alicujus possessionem secundum utrumque statum non tantum ad unam personam pertinere; sed etiam inter duas personas possessionem unius rei sic distingui posse, ut una persona jus possessionis ceu rem incorporalem absque rei corpore habeat; altera corpus rei absque jure detineat. Et hoc est, quod Trebatius existimat, *posse alium justè, alium injustè possidere.* Ob hoc assertum in *d. l. 3. §. 5.* Labeo Trebatium reprehendit, & contra illud oppositionem format, eandemque ratione quadam communire laborat.

positio his verbis constat : *In summa possessionis non multum interest, juste quis, an injuste possideat.* Ratio oppositionis his verbis protinus annexa; *non magis enim eadem possessio apud duos esse potest; quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.* Tenor proinde oppositionis esse videtur; Statum possessionis simplicem esse & uniformem, mere videlicet naturalem, qui corpus rei afficit; statum legalem, seu jus possessionis abstractivè consideratum, nullius aut levioris momenti esse, atque à naturali statu absorberi. Et in tantum quidem Labeo evidenter à Trebatio dissentit. Rationem verò adjectam quod attinet, illa sic comparata est, ut nec Labeonis oppositionem confirmet, nec regulæ à Trebatio formatæ contraria existat. Id enim per se patet, quod possessio, prout corpus rei tantum afficit, non possit ad duos simul in solidum pertinere, & tantisper instantia data admittitur, *non magis eandem possessionem apud duos esse posse, quam te stare in eo loco, in quo ego sto.* Verum nec Trebatio unquam asseruit, possessionem, prout corpus rei tantum afficit, posse ad duos simul pertinere, quin potius *in d. l. 3. §. 5.* disertis verbis monuit Trebatio; *Duos injuste, vel duos juste non posse rem possidere.* Hactenus ergò nondum probavit Labeo, quod probare voluit, quam ob causam videlicet possessio, pro ut jus est, non possit separari à possessione, quæ corpus rei afficit, quominus alius juste, alius injuste rem quandam possidere possit.

§. V.

Quodsi autem à Trebatio tanquam affirmante probatio regulæ (*alium juste, alium injuste possidere posse*) exigere-

geretur; hæc certè ex jure prætorio tum temporis con-
 dito, & in ordinem juris perpetui redacto abunde suppe-
 tere videtur. Ponamus: Fundi Tusculani possessionem
 Titio à Sempronio per vim ablatam esse, & dejectum in-
 tra tempus utile actionem ex Interdicto *Unde Vi* institue-
 re, aut instituere posse. Hoc in casu possessio corporis seu
 fundi quatenus facti & mere naturalis est, utique apud Sem-
 pronium est; penes Titium verò remanet possessio pro-
 ut jus est; intuitu enim actionis instituendæ nullum ali-
 ud fundamentum concipi potest, quam jus possessionis.
 Simili modo circa actionem ex Interdicto *Utrubi* suppo-
 namus, Equi alicujus, alteriusve rei mobilis possessionem
 per præsentis anni octo menses priores Titium habuisse;
 per duos vero posteriores menses Sempronium equi isti-
 us possessionem habuisse, & motæ actionis tempore ad-
 huc habere; Titius actionem movens, jus possessionis
 absque corpore habet, seu *juste possidet*, & Sempronio,
 qui corporis possessionem tantum habet, atque in relatio-
 ne ad alterum *injuste possidet*, secundum jus vetus Treba-
 tii tempore receptum potior existit *pr. l. un. ff. Utrubi*.
 In his & similibus casibus à possessione corporis manife-
 ste discernere licet jus possessionis, in quantum jus illud
 concipimus animo tantum, & quidem ut jus firmum, &
 in suo genere perfectum, quodque præcipue contra cor-
 poris detentorem per legitimos tramites cum effectu per-
 sequimur. Sub quo conceptu quemadmodum jus pos-
 sessionis, possessioni corporis contradistinctum, semper
 venit; ita utraque possessionis species in diversis sub-
 jectis existens diversis quoque effectibus conspicua est.

§. VI.

Corporis possessio citra jus possessionis firmum & in suo genere perfectum apud Sempronium existens 1) inducit præsumtionem pro ipso, ut causam possessionis allegare regulariter non teneatur, 2) impedit, quo minus is, qui jus possessionis, aut dominium habet, licite corporis possessionem privata auctoritate possit invadere, 3) efficit, ut si per vim corpus illicite sit ablatum, ejusdem restitutio etiam contra verum dominum, aut qui firmum jus possessionis antea habuit, possit obtineri, & qui alii adhuc dantur effectus.

l. 11. C. d. Petit. Hæredit. §. 1. J. de Vi bon. rapt.
l. f. ff. de A. l. A. P. l. 128. ff. de R. J.

§. VII.

Non minus tamen & *Jus Possessionis* in iisdem rebus secundum casus præmissos radicatum, & penes Titium existens suos habet effectus; quos inter præcipuus est, ut actiones possessorias contra Sempronium movere, & intermedia Judicis auctoritate corporis possessionem obtinere possit. Quod si quis exciperet: Actionem ex interdictis *Unde vi* & *Utrubi* provenire ex facto illicito adversarii, videlicet ex Sempronii violenta invasione, vel illicita detentione; minime verò ex jure possessionis. Ad hanc objectionem reponi posset; Invasionem istam & detentionem rei illicitam, in relatione ad actionem possessoriam, habere se instar occasionis, & causæ sine qua non; Jus verò possessionis in actore radicatum, veram & immediatam causam actionum possessoriarum constituere. Tale fundamentum seu jus possessionis in actore radicatum extare, & causam dare actioni evidentissime de-

demonstrare licet, ex cessione actionis possessoriæ, quam dejectus à Possessione alteri facere potest, aliquando tenetur *l. 16. §. 4. ff. de hered. petit. Si is, qui pro herede possidebat, vi fuerit dejectus, peti ab eo hereditatem posse quasi à Juris possessore, quia habet Interdictum Unde Vi, quo victus cedere debet.* Quodnam verò aliud in cessione tali objectum concipi potest, quam jus possessionis dejecto competens?

§. VIII.

Ex hac disputatione à Labeone contra Trebatium mota luculenter apparere arbitramur, rectissimè sese habere regulam à Trebatio primùm in Jure Romano proditam, *Posse alium juste, alium injuste possidere*, ut alter videlicet jus possessionis, ceu rem incorporalem, citra corpus rei; alter possessionem corporis citra jus possessionis firmum & in suo genere perfectum penes se habeat. Sane, verò si ad rerum, quatenus humani privatiq; juris sunt, primam originem, & ad statum, quem juris Naturæ interpretes subinde fingunt, naturalem, quo omnium rerum communio fuisse perhibetur; aut verius, si ad prima illa mundi tempora respicimus, in quibus cum vastitate telluris comparatus tenuis admodum incolarum erat numerus, & familiarum jure tantum distinguebantur homines; hoc certe ævo in rebus nondum occupatis jus possessionis à possessione corporis distinguere non licuit, ad quem possessionis statum quadantenus accommodari potest id, quod dicitur *in l. 1. §. 1. ff. de acquir. l. amitt. poss. Dominium rerum ex naturali possessione cepisse.* (supposità videlicet benignissimi Creatoris indulgentissimâ concessione.) Quæ autem hisce temporibus circa possessionem acquirendam

B

ob-

obtinuit ratio, *Si libet, licet* : hæc ad ista tempora, in quibus rerum sunt introducta dominia, amplius non quadrat. Quamobrem sub alia prorsus figura concipiuntur regulæ possessionis acquirendæ appetitum moderantes. *Unusquisque contentus suo rem non expetat juris alieni; Omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere; Nemo alterius conditionem (nec ratione possessionis) deteriore facere potest; Id quod nostrum est (etiam ratione possessionis) sine facto nostro ad alium transferri non potest; Nemo sibi ipsi causam possessionis mutare potest.*

l. 4. C. Fin. regund. l. 39. ff. de neg. gest.

l. f. C. Unde vi l. 11. ff. de R. J.

l. 19. §. 1. ff. de acqv. l. amitt. poss.

Hinc evenit, ut licet propria auctoritate quis rem, quæ alterius est, occupare, aut causam possessionis mutare præsumat; Jus tamen possessionis, ceu jus in suo genere perfectum non consequatur; sed jus possessionis (ex civili instituto plerumque ad annale spatium) illi servetur integrum, ad quem res potiore jure pertinet. Ethinc porro sequitur, *posse alium juste, alium injuste possidere.*

§. IX.

Quemadmodum autem hæc ipsa regula post introductum rerum privatarum dominium possessionis conditioni omnino consona; & in foro Romano juri Prætorio, prout illud Trebatii & Labeonis ætate sese habuit, conformis existit, per ea quæ antea dicta sunt; ita & regula ista procedente tempore à Papiniano imprimis & Constantino Imperatore emphatice repetita deprehenditur. Licet enim ad Papinianum autorem se referat vulgaris regula: *Possessio plurimum facti habet l. 19. ff. Ex quibus caus. maj.*

maj. neutiquam tamen idcirco ille Labeonis opinioni in-
 harere intelligendus, quandoquidem in *l. 49. pr. §. 1. ff.*
de acquir. l. amitt. poss. perspicue tradit, plurimum ex jure
 possessionem mutuare &c. *Possessionem non tantum corporis, sed*
& juris esse. Et ad hunc scopum exacte quadrant verba
 Constitutionis imperatoriae in §. 1. allegatae, *Neminem am-*
bigere, possessionis duplicem esse rationem, aliam quae jure con-
sistit, aliam quae corpore &c. non posse eum intelligi possessio-
rem, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita
contestatione super jure possessionis vacillet. l. 10. C. de acquir.
vel ret. poss. Circa hunc posteriorem textum illud adhuc
 memoratu fortè non indignum advertimus, quod iste non
 tantum Trebatii regulam disertè confirmet; sed opposi-
 tionem Labeonis simul infringat. Fuit Labeo, ut in §. 4.
 monuimus, in ea opinione, statum possessionis uniformem
 esse, & mere naturalem, ut is tantum possessionem habere
 intelligatur, qui possessionem corporis habet; utrum ju-
 stè an injustè eandem habeat, non multum interesse. Ab
 hac sententia expresse discedit Constantinus Imperator
 rem invertens, ut si possessionis status simplex & unifor-
 mis esse debeat, is potius possessionem habere intelligatur,
 qui jus possessionis absque corpore habet, quam qui cor-
 pus citra jus possessionis detinet.

§. X.

Non dubitandum proinde inter regulas illas duas
 in §. I. allegatas evidentem intercedere dissonantiam;
 priorem tamen regulam, Labeonis videlicet, ita compa-
 ratam esse, ut posteriori cedere debeat, eò quod ab na-
 turali æquitate non minus, quam à juris Romani disposi-
 tione aliena sit. Hac igitur occasione Labeo aliquid hu-

mani passus est, qua plurimi eruditi tale quid patiuntur, ut dum alios reprehendere properant, ipsi sæpè à veritatis tramite aberrare incipiant.

Et hæc quidem minus rectè procedens censura eò magis notabilis esse videtur, quod à principio, ex quo aliàs disputare consueverat Labeo, prorsus deflectat. Teste enim Pomponio *in l. 2. §. 45 ff. de Orig. Jur. Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrina plurima INNOVARE instituit;* In præsentem verò doctrinam, postquam animadvertit Labeo, Trebatium ad jus tum temporis novum suam accommodasse definitionem, moris sui oblitus, antiqui potius, & ut sic loqui liceat, Ante prætorii juris tenax tantisper esse maluit, quam ut absque reprehensione Trebatium dimitteret. Interim dissimulare non possumus, quod adnitentibus Ulpiani, Pauli, Pomponii aliorumque Jurisprudentum suffragiis circa alias juris civilis quæstiones Labeo contra Trebatium virgulam censoriam meliori cum successu usurpaverit.

l. 1. §. 41, ff. Deposit.

l. 29. pr. ff. de Leg. 3.

l. 1. §. 2. ff. de peric. & commod. rei vend.

l. 100. §. 1. ff. eod.

l. 21. ff. de hered. inst.

l. 7. ff. de Trit. vin. l. ol. leg.

l. 49. §. 2. ff. de Leg. 2.

l. 22. §. 3. ff. Quod vi aut clam.

§. XI.

Lite ista hoc modo composita, ut rem certam & prorsus liquidam supponimus, circa possessionem sub distincto conceptu *jus possessionis & possessionem corporis* posse considerari, ac sæpissime inter duas personas alteram jus possessionis absque corpore, alteram corporis possessionem absque jure possessionis habere. De qua doctrinâ eò minus du-

dubitandum; postquam sensim magis magisque post Trebatii & Labeonis tempora invaluit, ut possessio, prout jus est, & certam rem afficit, certis in casibus ex partium voluntate *solo etiam animo possit noviter acquiri citra naturalem corporis apprehensionem.* Hæc ipsa juris visio jam Labeoniam etiam in libris posterioribus quodammodo arrisit; Is verò ob præconceptam illam opinionem, quod jus possessionis, prout in solo animo consistit, non possit separari à possessione corporis, à semet ipso id impetrare non potuit, ut huic sententiæ libere subscriberet, quam ob causam etiam à Javoleno notatus fuit in *l. 51. ff. de A. l. A. poss.* Liquidius hoc argumentum exponit Constitutum possessorium, de quo Celsus & Ulpianus, quorum ille sub Hadriano, hic sub Alexandro Severo floruit in *l. 18. ff. de A. l. A. poss. Quod meo nomine possideo, possum alieno nomine possidere, nec enim mihi muto causam possessionis; sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio. l. 77. ff. de R. V. Quædam mulier fundum non marito donavit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit: posse defendi in rem ei competere, quasi per ipsam acquisierit possessionem veluti per colonam.* Ita juxta ejusdem Celsi & Papiniani, qui sub Severo Imperatore vixit, doctrinam, non tantum proprietas, sed & possessio traditionem longæ, ut dicitur, manus, ut & symbolicam traditionem admittit *l. 18. §. 2. ff. de A. vel. A. P. Si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonstrat, vacuamque se possessionem tradere dicat, non minus possidere cæpi, quam si pedem finibus intulissim. l. 74. ff. de contrab. emt. Clavibus traditis ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditæ sint: quo facto confestim emtor dominium & possessionem adipiscitur, et se*

non aperuerit borrea. Simili modo, quando is, qui prædium donandi animo Ecclesiæ offert, modicum terræ manu tenet, vel in extremitate pallii manu Prælati subjecta, aut super altare ponit, signum hoc, quod *Scotatio* dicitur, non tam factæ donationis, quam traditæ possessionis evidens esse argumentum perhibetur in Cap. 2. X. de Consuetud.

§. XII.

Quemadmodum verò casus isti, in quibus citra naturalem corporis apprehensionem jus possessionis separatim acquiritur, inter vivos & consentientes semet exserunt; ita porro quæritur: *Num sub eadem figura etiam mortis causa & intuitu successionis jus possessionis citra naturalem bonorum apprehensionem aliquando obvenire soleat?* aut pressius: *Num hæres possessionem, prout jus est, in bona defuncti jure successionis sibi delata habere intelligatur, antequam ad naturalem corporum possessionem pervenerit?*

Et quid moras nectimus, quo minus libere rem omnem exponamus, & in actu exercito quasi hoc ipsum argumentum excutiamus? Enim vero inoffenso jam pede transire licet ad quæstionem in libelli disputatorii fronte notatam, *Utrum ille, qui sub pretextu alicujus juris bona quædam à defuncto hætenus possessa jacente hereditate occupat, in judicio possessorio sit præferendus hæredi possessoris defuncti?*

§. XIII.

Terminorum evolutionem consultò omittimus. Hoc etenim institutum ad circulos disputatorios, nisi singularis aliqua in terminis ambiguitas interveniat, non pertinere, ac elementorum istorum repetitionem ad char-

chartaceæ molis decus utcunque directam plurimis tæ-
diosam esse, certò persuasi sumus. Hac potius ratione
præsenti doctrinæ singularem perspicuitatem conciliari
posse, non temere forte arbitramur, si universam dispu-
tationis telam ad specialiores casum aptamus, & ad talem
quidem casum, qui in foro obvenit, & inter duos cele-
berrimos JCTOS CARPZOVIVM & HAHNIIVM dis-
putandi occasionem suppeditavit. Reperitur casus iste
apud *Carpzovium Decis. 225.* & apud *Hahnium in peculiari
Disputatione in Academia Helmstadiensi anno 1655. habita sub
titulo: De Transitione Possessionis in heredem §. 14. §. 20. & 21.*
Hahnii recensioem, quippe qua plures exprimuntur cir-
cumstantiæ, sequimur tantisper, ita tamen ut loco litera-
rum, quas vera Litigantium nomina initiales habuerunt,
integra nomina, ficta licet, substituamus.

§. XIV.

*LUCIVS in matrimonio habet Lucretiam sororem Geor-
gii, qui anno 1619. absque descendentibus & ascendentibus
mortuus, sorori Lucretiæ bonorum proprietatem, eorundem ve-
ro usumfructum reliquerat uxori Mariæ, quæ Mariæ fuit socrus
WERNERI, illumque successorem post se habuit. Mariæ
Anno 1644. defunctâ, adeoque morte ejus usufructu, qui con-
stitutus esse dicebatur, extincto, LUCIVS tanquam curator
uxoris seu proxima hæredis fratris sui Georgii ab intestato ad-
hibito Notario & testibus possessionem bonorum, quæ Mariæ ad
mortis usque tempus detinuerat, apprehendit, & à Dicasterio
aulico mandatum manutenentiæ pœnale contra quosvis (non
certum adversarium) impetrat. Pro quo cassando WERNE-
RUS ut hæres Mariæ laborat, ac Lucium prædonem, invaso-
rem ac turbatorem possessionis suæ proclamatur, atque manda-
tum*

tum inhibitionis contra Lucium, & manutenentia pro se peti.

§. XV.

Quæ circa hunc casum inter *Habnium & Carpzovium* suborta est disputatio, ad duos potissimum articulos reduci posse videtur, in quorum uno *de jure Possessionis in se considerato*, in altero *de modo procedendi* disceptatur.

§. XVI.

Habnius in dicta Dissertatione, & potissimum quidem in §. 21. *LUCII* partes defendendas suscipiens his rationibus innititur; Quæ à Maria ut usufructuaria ad mortis usque tempus possessa fuerant, & ad Lucii uxorem ut proprietariam pertinuerant bona, post mortem Mariæ ceu post consolidationem contingentem recte occupasse, Lucium nomine uxoris, justamque in illis bonis ceu vacantibus possessionem obtinuisse, propterea quod nullus alius in rerum istarum possessione fuerit constitutus, & ipse insuper circa occupationem notarium & testes adhibuerit. Quamobrem nec Mariæ ceu usufructuariæ hæredem *Wernerum* jus quoddam intuitu Possessionis prætere posse, quoniam *possessio, nisi naturaliter comprehensa, ad hæredem non pertineat. l. 23. ff. de A. vel A. P.* Porro monet Hahnus, quoad *modum procedendi* bene satis sibi prospexisse Lucium, quod cum die VII. Martii 1644. possessionem apprehenderit, rem ad dicasterium aulicum sequenti statim die detulerit, & decretum manutenentiæ petierit, præstita in continenti probatione per instrumentum à notario confectum, se possessionem bonorum cepisse, & quidem ex titulo pro hærede respectu Georgii fra-

fratris Anno 1619. jam demortui. His circumstantiis ponderatis, & nullo alio contradicatore tum temporis existente, tandem nec Magistratum aliter procedere potuisse, quam ut secundum petita Lucii mandatum manutentia decerneret.

§. XVII.

Carpzovius contra *Lucium* patrocinium *Werneri* in se recipiens hanc rubricæ loco in dicta Decisione 225. præmittit definitionem: *Non decernendum est mandatum manutentia vel inhibitionis pœnale occupanti bona defuncti contra ejus heredem ante aditam hereditatem.* In ipsa tractatione primùm controversia, ejusque fata, quæ in judicio habuerit, recensentur; post ubi in genere de inhibitionum doctrina fuit actum, transitus fit ad casum præsentem, & illam inprimis sententiam, quam *Hahnus* adstruit. Ab hac vero secessum faciens *Carpzovius* suam opinionem in rubrica nervose propositam repetit, illiusque firmandæ causa provocat ad *l. 1. C. Si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio*: hac applicatione protinus adjuncta: Illo ipso momento, quo Vidua *Maria* possidens bona è vita migravit, heredem ejus *WERNERUM*, licet non in detentione reali, quippe quam per solam occupationem bonorum hereditariorum consequitur, tamen in jure possessionis fuisse constitutum; Jus Possessionis ipso jure in heredem transire; in heredibus defuncti possessionem continuari, ceu in quibus vivere censetur; Fictione juris secundum *Nov. 48. pr. heredem & defunctum pro una haberi persona.* Subsistente igitur jure possessionis vel jure occupandi bona hereditaria in persona heredis etiam ante aditam hereditatem, neminem inficias ire posse, turbari heredem, si alius occupare bona præsumat. Instat porro *Carpzovius* non inepte adstrui, heredem

C

post

post obitum defuncti ante aditam hæreditatem vere possidere bona hæreditaria, cum ex generali locorum fere omnium consuetudine non solum dominium, sed & possessio rerum hæreditariarum ipso jure transeat in hæredem teste *Ant. Fabro in Cod. l. 7. tit. 7. def. 5.* huc pertinere, quod aditio hæreditatis ad diem mortis retrahatur, ut secundum *l. 54. ff. de acquir. vel omitt. hæred. Hæres quandoque adeundo hæreditatem jam tunc à morte successisse defuncto intelligatur. conf. l. 138. pr. & l. 193. ff. de R. J.* quodque nullo temporis momento hæreditas jacuisse existimetur, ne alioquin eveniret, ut bona hæreditaria possint fieri primi occupantis, tanquam quæ interim essent nullius *l. 1. pr. ff. de rer. divis.* Ex his, quæ ita dicta sunt, infert *Carpzovius*, non posse non *Lucium* pro turbante & spoliante haberi, contra quem merito decernendum fuisset mandatum manutenentiæ, quo hæres *Wernerus* in continenti restitueretur; neque enim solum possessionem & detentionem rerum corporalium in materia inhibitionum in considerationem venire, sed per interdicta & præcepta manutenentiæ conservari etiam rerum incorporalium possessionem, quæ vulgo dicitur quasi possessio; adeoque jus occupandi hæreditatem & apprehensionem possessionis realis hæredi per mandatum manutenentiæ vel inhibitionis contra turbantem & possessionem ingredientem omnino conservandam venire; nequaquam enim hæredem spoliatum possessione vel jure potius possessionem hæreditatis occupandi per invasorem destitutum esse, cum id solo retinuerit animo.

§. 5. J. de Interd.

l. 3. §. 7. ff. de acquir. l. amitt. poss.

l. 25. §. 2. l. 46. ff. eod.

Ad

Ad l. 23. ff. de acquir. vel amitt. poss. qua disertis verbis dicitur, possessionem, nisi naturaliter comprehensa, ad hæredes non pertinere, respondetur I.) Licet concedatur, ex Jctorum opinione ipsam possessionem non transire in hæredes ante aditionem & occupationem hæreditatis; Jus tamen possessionis ipsis denegari non posse; ut enim jura reliqua tam active, quam passive in hæredes transferuntur l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. J. ita & juris possessorii eodem modo hæredes fieri participes, licet possessionem realem sive detentionem non nisi post aditam hæreditatem per occupationem acquirant. II.) Quicquid etiam Jcti veteres statuerint, de possessione ipso jure in hæredes non transferenda, ex generali tamen omnium fere locorum consuetudine aliud hodie obtinere teste *Fabro* antea citato. III.) Ipsam facultatem apprehendendi possessionem jus aliquod & ita quasi possessionem supponere, cujus nomine non minus quam ad conservationem possessionis rerum corporalium inhibitio (in favorem illius qui possessori vero proximè succedit,) decerni soleat. Circa modum procedendi seorsim denique notat *Carpzovius*, in casu proposito decretum manutenentiæ à Dicasterio aulico emissum ideo plane irritum esse, quod adversus hæredem *Wernerum* causa prorsus incognita ac nullo præcedente monitorio fuerit interpositum.

§. XVIII.

Habnius in d. Dissert. §. 15. & seqq. in eo totus est, ut suam, quam de hoc casu possessorio fovit, sententiam, corroboret, & *Carpzovii* objectiones non modo diluat, sed etiam istius decisionem sibi contrariam penitus destruat. Quamobrem examen I.) subit distinctio, quæ jus

C 2

pos-

Possessionis seu jus occupandi bona hereditaria secernit a *reali bonorum detentione*; illud quippe statim & ante aditam hæreditatem ipso jure ad hæredem transire asseruerat Carpzovius; hanc autem non transire idem concesserat. Reponit Hahnus *a)* istam distinctionem, quantum ad acquisitionem hæreditatis attinet, in jure Civili plane non habere locum, ob disertam dispositionem *l. 23. ff. de A. vel A.P. Cum hæredes instituti sumus adita hæreditate, omnia quidem jura ad nos transeunt; possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet.* Pergit Hahnus, in hoc textu expressè statuere Javolenum, jura cætera in universum omnia transire, excepta sola possessione; idcirco distinctionem inter jus possessionis & possessionem ipsam ceu realem detentionem subsistere non posse; Juribus possessionem contra distingui. *Et c.* *β)* Quæstione motâ quis possideat, non quæri quinam jus possidendi habeat; sed qui actu res possideat, ad ipsam possessionem acquirendam unâ requiri factum seu naturalem apprehensionem hæredis, nec eam unquam solo animo nos adipisci posse, secundum *S. 5. in f. J. de Interd.* Habere hæredem facultatem seu jus apprehendendi possessionem rerum hereditariarum & quidem auctoritate propria, si modo ab alio non est occupata; Verum ex illa facultate hæredem non effici possessorem, nisi actu apprehendat; possessionem facti esse, nec solo jure & animo secundum jus Civile perfici. Liquidum inde reddi *Wernerum*, cum nunquam ille possessionem ipso actu apprehenderit, quamvis facultatem illam habuerit, minime pro possessore haberi potuisse. Imo si Carpzoviana sententia vera esset, etiam *Lucium*, qui suam uxorem hæredem esse asseverabat, jus pos-

possidendi longe prius habuisse. Non interesse, quod non probatum fuerit, eam esse hæredem; cum nec probatum fuerit, Wernerum esse hæredem; id enim ad petitorium pertinuisse, adeoque hæctenus Lucium & Wernerum pares fuisse.

Hæc ubi contra Carpzovii distinctionem in medium prolata sunt; II.) in conspectum prodeunt textus juris sententiæ Carpzovianæ inservientes, in quibus dicitur, *Hæredem & defunctum pro una haberi persona, defunctum in hæredibus vivere, hæredem quandocunque adeundo hæreditatem jam tunc à tempore mortis intelligi successisse defuncto* &c. Et hos quidem & alios istis similes textus ceu generales rectè satis sese habere conceditur; interim tamen eosdem in relatione ad possessionem perdere suum officium, eo quod specialioribus regulis hoc jus circumscriptum sit, quæ generalioribus derogent. In disceptationem dehinc venit illud, quod de Consuetudine generali Carpzovius adjecerat, cujus vigore *Possessionem hodie ipso jure in hæredem transire* perhibetur. Ac primum quidem respectu Germaniæ, aut supremi potius Germaniæ Tribunalis, nec non respectu illius Dicasterii aulici, in quo lis præsens fuit mota, partim simplici negatione, partim certis ex Gailio & Græveo depromptis testimoniis consuetudini huic ceu nunquam receptæ aditus omnis rigorose præcluditur. Hoc ubi factum, libere & singulari cum cura demonstratur, qualem originem hæc doctrina habuerit; quodque non ex moribus, ut Carpzovius & cœteri Doctores putant, sed potius ex Lege scripta Hispanorum, & quidem ex Legibus Taurinis promanaverit. Id ut liquidius pateat, hispanico æque ac latino idiomate

Legem Taurinam *de Transitione possessionis in heredem* verbis conceptis recensere commodum visum fuit; quam recensionem excipit spissa Statutorum & Dd. allegatio, ex qua patescit, quam late per Galliam & Italiam hoc juris placitum, *ut possessio ipso jure transeat in heredem*, sit receptum. Quae ratione id efficere voluisse videtur Hahnus, ut haec sive lex, sive consuetudo quocunque aliàs locorum sit diva, modo non in Germania & Saxonia imprimis sit viva. Ex hoc diverticulo redux Hahnus sententiæ suæ fundamenta denuò inculcat, & Lucium, cum neminem vi dejecerit possessione, pro spoliatore & turbatore haberi, cumque spolium non commiserit, adversus eum mandatum decerni non posse; nec Wernerum, qui possessionem non habuit, in ea defendi posse contendit. His ita deductis in §. 19. 20. 21. *Modum procedendi* à Judicio aulico observatum Hahnus seorsim vindicans in ea persistit sententiæ; citationem adversæ partis ex qualitate negotii non fuisse necessariam, eò quod in mandato mantenentiæ, in quantum illud officio Judicis tantum expeditur, secundum nonnullorum Dd. opinionem salva processus substantia citatio omitti possit; imo licet jure actionis mandatum tale fuerit petitum, adhuc tamen Judicem absque citatione procedere potuisse, propterea quod illi statim constiterit, jus adversario in possessione nullum fuisse.

§. XIX.

Et intra hos limites controversia ista inter *Hahnium* & *Carpzovium* agitata substitit; Neque enim, quantum nobis constat, disquisitionis istius ferram ulterius ducere, & replicam reponere placuit *Carpzovio*, forte quod dignita-

gnitati suæ convenientius esse existimaret, ut tanquã *judex* secundum *l. 55. ff. de re jud. semel tantum officio suo fungeretur*; maximè quod nec spontaneo motu, nec sub advocati caractere ad quæstionem hanc accesserit, sed primum ad Judiciis instantiam ex Collegio Juridico, cui summa cum auctoritate præfuit, suam de hoc casu possessorio sententiam responsi loco dederit.

§. XX.

Procedente tempore hanc controversiam inter *Hahnium & Carpzovium* agitatam denuò expendere cepit *Schilterus in Exercit. ad Pand. XLVII. §. 57. ut & in Exercit. XV. §. 70.* Et ille quidem in tantum non modo adstipulatur *Carpzovio* asserens; nostro jure transire possessionem ipso jure in hæredem; sed & argumenta nonnulla ab *Hahnio* producta diluit. Veruntamen quando ad illud devenitur, in quo cardo controversiæ, & principalis decidendi ratio consistit, *Hahnii* partibus addictior *Schilterus* *Carpzovium* arguit, quod *Interdictum à Mandato* manutenentiæ non rectè distinxerit, & denique ambiguo hoc & medio responso hanc controversiam dimittit; *Carpzovii sententiam in thesi esse veram, & quoad regulam; in hypothesis & relatione ad casum presentem Hahnium rectè sensisse.* An ab aliis etiam Doctoribus controversia ista, fusius excussa sit, jam quidem ulterius inquirere non vacat.

§. XXI.

Quodsi tandem & nobis integrum est, pro cathedræ academicæ libertate nostram de hoc casu possessorio exponere sententiam; theses nonnullas de acquirendæ possessionis jure præmittendas esse ducimus, quarum subsidio

cer-

certæ dehinc opinionis electionem, æque ac ejusdem probationem expedite magis nos posse perficere arbitramur.

§. XXII.

Circa possessionem acquirendam res ipsas primùm distinguere tenemur. Res enim, de quarum possessione acquirenda agitur, Aut à nemine hæctenus possessæ sunt, & nullius sunt; Aut ab aliquo possessæ & privati juris effectæ sunt. In rebus quæ nullius sunt, & à nemine possessæ, ad *ORIGINARIAM POSSESSIONEM* inducendam sola acquirentis seu occupantis voluntas sufficit, & harum rerum intuitu possessio ratione originis facti tantum est, quandoquidem cum firmare rei apprehensione jus possessionis protinus acquisitum esse intelligitur. Procedit hæc assertio jure Romano in feris bestiis cæterisque rebus, quæ nullius sunt, alicujus tamen fieri possunt l. 3. §. 14. ff. de A. vel A. poss. conf. quæ supr. §. VIII. dicta. In rebus, quæ à privato possidentur, & privati juris sunt, ad *DERIVATIVAM POSSESSIONEM* inter vivos expediendam, mutua & transfærentis & accipientis voluntas simul & uno actu concurrere debet. Solius acquirentis voluntas cum apprehensione rei conjuncta corporis possessionem utcunque confert, neutiquam verò validum jus possessionis tribuit, quippe quod in illo radicatum manet, à quo plene hæctenus res possessa fuit, cujus virtute mediante actione tempestive instituta corporis possessio facile recuperari potest. Et hoc usque adeò verum est, ut is, qui sua tantum voluntate rei ab altero hæctenus possessæ possessionem apprehendit, jus possessionis non consequatur, sed pro prædone habeatur, licet vel antecedens mutua voluntas & tituli
ju-

justitia concurrat. Spectant ad hoc argumentum l. 5. ff. de A. vel A. P. Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, & non tradam eum; tu autem nactus fueris possessionem, prado es. Æque si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem, non pro emtore possides, sed prado es. l. 33. ff. eod. Fundi venditor etiam si mandaverit alicui, ut emtorem in vacuam possessionem induceret, priusquam id fieret, non recte emtor per se in possessionem veniet. l. 3. C. de Pign. & Hypoth. Creditores, qui non reddita sibi pecunia, conventionis legem ingressi possessionem exercent; vim quidem facere non videntur; attamen auctoritate Præsidis possessionem adipisci debent. Et hæc de POSSESSIONE DERIVATIVA quatenus inter vivos perficitur.

Mortuo possessore jus occupandi & apprehendendi possessionem bonorum, quæ defunctus usque ad mortis tempus detinuit, possessoris demortui successoris universali ex jure hæreditario competit; cujus vigore si bonorum possessionem naturaliter apprehendit ille, perfecte possessionem (quoad jus & corpus) acquirit, & insimul hoc ipso facto, se velle hæredem esse, declarat §. 6. J. de hæred. qual. & differ.

Quod si rerum istarum possessio ab hærede nondum naturaliter apprehensa est; & interea tertius, qui forte ex jure aliquo rem ad se pertinere prætendit, aut legatarii, qui à defuncto possessore res legatas obtinuerunt, propria auctoritate citra hæredis voluntatem rerum certarum, forte & legatarum possessionem naturaliter apprehendunt; hoc in casu jure quidem Civili naturalis corporum possessio absorpsit quondam jus possessionis hæredi competentis, ut non nisi petitorio judicio jus suum persequi possit;

D set;

set; postmodum verò jus istud possessionis directo ex jure
 universali competens & abstractive consideratum ob in-
 teresse hæredis, qui bonorum possessoris nomen tantisper
 suscipit, jure prætorio tali successu corroboratum fuit, ut
 ille intra annum ex Interdictis *Quorum bonorum & Quod le-
 gatorum* legatarium & quemvis alium, qui pro hærede (non
 vere, sed putative) aut pro possessore possidet, ad rerum
 ex legati aut quovis alio titulo occupatarum restitutionem
 valide convenire, & sic ad adipiscendam corporalem bo-
 norum possessionem pervenire possit. *l. 1. pr. ff. quorum
 bonor. l. 1. pr. §. 1. §. 2. §. 6. ff. quod legator. §. 3. J. de Interd.*
 Ex his, quæ modo dicta sunt, patet, quod mortuo posses-
 sore bonorum ab eo relictorum possessio ad alium (præter
 hæredem) perfectè pervenire non possit, nisi ipsius hære-
 dis voluntas concurrat. Diserte hoc ipsum ulterius tra-
 dit Pomponius in *l. 33. ff. de A. vel A. P. Si amicus vendito-
 ris, mortuo eo, priusquam id sciret, aut non prohibentibus hæ-
 redibus id fecerit, (seu emptorem in vacuam possessionem indu-
 xerit) rectè possessio tradita erit. Sed si id fecerit, cum sci-
 ret dominum mortuum, aut cum sciret, hæredes id facere nolle,
 contra erit.*

§. XXIII.

His ita præmissis circa præsentem casum possessorii-
 um CARPZOVII decisionem amplecti, eandemque, ut ut
 suo robore satis tutam ac firmam, exercitii gratia ab
 HAHNII objectionibus in §. XVIII. recensitis vindicare
 non dubitamus.

§. XXIV.

Firmo proinde fundamento I.) nititur distinctio à
 Carpzovio allegata inter *jus possessionis seu jus occupandi bona*
 hære-

hereditaria, & realem bonorum detentionem; Illud quippe non tantum ipso jure & immediate in heredem devolvitur; sed & si in præjudicium hæredis ante naturalem apprehensionem tertius propria autoritate bona occupare præsumit; hoc jus possessionis abstractivè consideratum talem vim ac potestatem à jure prætorio obtinuit, ut invasorem talem ad rerum occupatarum restitutionem hæres mediante actione possessoria valide possit compellere per ea, quæ in §. XXII. fusius deducta. Quæ adversæ sententiæ palladium esse videtur lex, videlicet l. 23. ff. de A. vel A. P. Cum heredes instituti sumus, adita hereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt; possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet. Hæc, inquam, lex cum nostra doctrina non difficulter conciliari potest, si modo ea accuratius paulo expendatur. Verba videlicet a) Cum heredes instituti sumus, b) Jura ad nos transeunt, probe sunt observanda, & sub duplici adeo paraphrasi liquidius exponenda.

a) Cum heredes instituti sumus (quo nomine proprie utimur, quando ex jure civili, juri prætorio contradistincto, succedimus; nam Prætor heredem facere non potest; sed bonorum possessorem. pr. J. de bon. poss.) adita hereditate (ex jure civili, prætorio juri contradistincto, delata; successione enim ex jure prætorio delata, non hereditatem adire, sed bonorum possessionem petere, eandemque agnoscere dicimur §. 4. J. de bon. poss.) omnia jura ad nos transeunt: possessio tamen (prout illa secundum jus civile, prætorio juri contradistinctum, se habet) nisi naturaliter apprehensa, ad nos non pertinet.

§) *Cum heredes instituti sumus, omnia quidem jura ad nos transeunt, (& sub hac quidem fictione transeunt, ut nos hæredes cum defuncto pro una habeamur persona pr. Nov. 48.) possessio tamen nisi naturaliter apprehensa ad nos non pertinet* (possessio sub tali fictione, sub qua cætera jura transeunt, in nos hæredes non transit; sed ea morte possessoris secundum juris Romani dispositionem expirat l. i. §. 15. ff. Si is, qui testam. nos hæredes proinde ex jure hæreditario hoc modo acquirere censetur possessionem, ut ea in defuncti persona putrescens quasi, in nobis hæredibus noviter regerminare credatur.)

Quod si ergo d. l. 23. sub hoc sensu, uti omnino debet, exponitur, salva istius legis sententia asserere valeamus, jus possessionis abstractivè consideratum, & in successore universali post mortem defuncti possessoris progerminans secundum juris prætorii dispositionem talem effectum habere; ut illud citra realem corporum apprehensionem ad actionis productionem habile sit, & quidem ad spatium annale, quem præscriptionis terminum pleræque actiones prætoriæ habent *pr. §. de perp. & temp. action.* Interim lubentissime concedimus, hoc jus possessionis talem effectum ex jure civili, prout prætorio juri contradistinguitur, quondam non habuisse; concedimus porro secundum visionem juris Romani sub fictione unitatis aliàs solenni, qua hæres & defunctus habentur pro una persona, jus possessionis non transire in hæredem (licet secundum naturalem æquitatem id omnino fieri posset) sed possessionem mortuo possessore expirare quasi, & in hærede noviter regerminare.

II.] Afferere placuit Hahnio; *Questione mota quis possideat; non quæri, quinam jus possidendi habeat; sed qui actus res possideat.* Verum hæc assertio procedit solummodo in Interdicto retinendæ possessionis; neutiquam verò in interdictis adipiscendæ & recuperandæ possessionis. Quam maximè etenim in adipiscendæ possessionis interdicto, ad quod præsens casus pertinet, interest, & solitariam decidendi causam præstat, quis *jus possidendi habeat; Corporis possessio*, qua actu quis possidet rem, ad obtinendam victoriam per se nihil confert; *non intelligitur quippe esse possessor, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causa in judicium deducta super jure possessionis vacillet ac dubitet* secundum sæpius allegatam *l. 10. C. de acquir. & ret. poss.* Porro cum grano salis accipiendum id, quod traditur, *ad acquirendam possessionem una requiri factum seu naturalem apprehensionem, nec posse unquam solo animo nos adipisci possessionem §. 5. J. de Interdict.* Exponitur quippe in allegato §. differentia, quæ inter retinendam & acquirendam rei alicujus possessionem intervenit; & in eo consistit: Rei alicujus possessionem quoad *jus & corpus simul* retinere possumus solo animo; acquirere verò rei alicujus possessionem, quoad *jus & corpus simul* non possumus solo animo, sed apprehensione opus habemus. Inde tamen minime sequitur: Si possessionem quoad *jus & corpus simul* non possumus acquirere solo animo, Ergo possessionem quatenus juris tantum est, & à corporis possessione tantisper separatur, solo animo acquirere non possumus. Enimverò *plenam possessionem* (quoad *jus & corpus simul*) hæres in bonis hæreditariis

tariis solo animo non adipiscitur, sed naturali apprehensione opus habet. Et hac naturali apprehensione facta, ubi postea circa possessionem controversia emergit, per interdicta retinendæ vel recuperandæ possessionis sibi consulit hæres. Interim tamen & illud certum est, possessionem (ut sic loqui liceat) *minus plenam* seu nudum jus possessionis à rei corpore physico abstractive consideratum solo animo adipisci hæredem; cujus vigore per interdicta adipiscendæ possessionis (naturalis ac plenæ) contra eos experitur, qui illegitime & propria auctoritate bona jacente hæreditate occuparunt. Quam ob rem aut concedendum est, ad hunc possessionis statum, prout apprehensione naturali nondum facta solo animo hæredis jus possessionis æstimatur, interdicta adipiscendæ possessionis pertinere, aut illa ad nullum alium casum adaptari poterunt.

Objectio singularis ex facto petita, *LUCIUM, qui suam uxorem hæredem Georgii esse asseverabat, jus possidendi LONGE PRIUS habuisse; non interesse, quod non probatum fuerit, eam esse hæredem; cum nec probatum fuerit, WERNERUM esse hæredem Maria; id enim ad petitorium pertinuisse;* Hæc, inquam, objectio collatis facti circumstantiis & juris rationibus facile corrui. Nimirum ex confessione ipsius LUCII (conf. supra §. 14. & Hahnii Dissert. §. 20. & 21.) in præsentī casu omnino erat liquidum, bona illa, quorum possessionem propria auctoritate occupaverat Lucius, Mariam viduam post mortem Mariti Georgii ab Anno 1619. usque ad annum 1644. ceu annum emortualem possedisse, & quidem (secundum Lucii assertionem) tan-

tanquam Usufructuariam ; Porro & illud constabat, LUCIUM se non gerere pro successore Mariæ, quæ paucos ante dies decesserat, & in possessione bonorum usque ad mortem constituta fuerat, sed Lucium nomine uxoris Lucretiæ se gerere pro hærede Georgii ante 25. annos demortui, ex cujus hæreditate bona non ita pridem occupata post consolidationem contingentem pleno jure ad se pertinere asseverabat. Quale verò jus possessionis Lucius absolute persequi potuit ex jure hæreditario ante XXV. annos delato ? Sane in causis possessoriiis quo quis *longe prius* jus possidendi se præ altero habere contendit, eo ipso profitetur, se longe inferiorem altero, qui recens jus possidendi pro se allegat. Quo longius enim ultra anale spatium nudum jus possidendi ad nos pertinere dicitur, eò magis illud infirmum & nullius esse momenti intelligitur. Præterea in præsentis casu quæstio illa, *quisnam in bonis à defuncta Maria relictis firmum jus hæreditarium haberet?* ad judiciũ quidem petitorium omninò pertinebat ; interim tamen ad possessorium judicium hæc spectabat disceptatio ; utrum possessio illorum bonorum, quæ à Maria usque ad mortis tempus possessa erant, potiori jure pertineret ad WERNERUM, qui pro hærede Mariæ se gerebat, & intra annum post ejus mortem possessionem petebat ; an verò possessio illorum bonorum LUCIO sit decernenda, qui se hæredem Mariæ non esse, aperte profitebatur ; sed jus possessionis à Georgio Mariæ marito ante XXV. annos demortuo deducebat ? Has circumstantias qui vel leviter perpendit, non facile à WERNERI partibus discedet.

§. XXVI.

Neque enim obstat, eo temporis momento, quo **LUCIUS** Magistratum implorabat, heredem *Mariae* apud eundem nomen suum nondum fuisse professum; sufficit etenim probabilem præsumtionem adfuisse, neminem facile sine hærede decedere; sufficit annale spatium nondum fuisse præterlapsum, intra quod hæredi possessoris mortui tantum, (minime verò tertio seu extraneo sub quocunque titulo) jus non modo occupandi bona à defuncto ad mortis tempus usque possessa; sed etiam jus persequendi possessionem mediante actione prætoriam competit, si ab alio temere bona sint occupata. Recte itaque fecisset Magistratus, si *Lucium* eo tempore, quo decretum *Manutentiæ* petebat, brevi hoc dimisisset responso: *Quod ipse postularet decretum nondum habere locum.* Quod si quis reponit: *Wernerum* post occupationem à *Lucio* factam, non solenniter petiisse bonorum possessionem à Magistratu, adeoque prætorii juris usuram ipsi non competere; is responsionis loco habeat; Bonorum possessionem non tantum petitione solenni, ut olim quidem moris erat, sed etiam ipso facto agnosci, si successor in judicio aliquem actum expediat, qui sine agnita bonorum possessione fieri non potest. Et ideo omnino sufficit post mortem *Mariæ*, quæ in possessione bonorum ad mortem usque permanserat, intra annum intervenisse *Wernerum*, & in judicio summario possessionem bonorum petiisse contra *Lucium*. *Conf. l. f. C. qui admitt. ad bon. poss. & Dn. Sryck. in Tr. de Successione ab intestato Diff. 9. cap. 2. §. 12.*

Si quis adhuc instaret, *Bona à Lucio occupata jure usus*

*usufructus ad Mariam pertinuisse; jus usufructus ut jus personale morte Mariae prorsus extinctum esse, & per consequens heredem Mariae in rebus illis nullum successionis jus pretendere potuisse; is hanc replicam exciperet. Rem esse altioris indaginis, & exactiorem desiderare probationem, si quis bona ex tali causa legitime obtinere praesumat, quae in tempus remotum & XXV. annorum (ut in hoc quidem casu id obveniebat) jus rejicit. Tale quid minime iudicio summario, sed potius ordinario persequimur. Praeterea in Jure Romano proprietario nusquam talem facultatem concessam esse legimus, ut is post mortem usufructuarii propria auctoritate bona pleno jure ad se devoluta possit occupare. Id potius theoriae juris Romani consonum, post extinctum usufructum actionem ex stipulatu ob cautionem usufructuariam, aut si satisdatum non fuerit, rei vindicationem instituire proprietarium *l. 1. pr. & §. 6. l. 7. ff. Usufr. quemadmod. cau.* His praesuppositis, etiamsi concedamus (quod tamen in praesenti casu eo tempore, quo bona occupabat Lucius, nondum erat liquidum) bona ista respectu Mariae usufructuaria fuisse; Lucium tamen ut proprietarium nihilo magis propria auctoritate extincto usufructu bona licite occupare non potuisse, sed possessionis traditionem ab haerede usufructuariae expectare, aut eam judiciali auctoritate citato adversario persequi debuisse arbitramur. Licet etenim usufructus extinctus sit morte usufructuarii; istius tamen haereditis quam maxime interest, ut possessionem bonorum usufructuarius tantisper retineat, quoad ex variis causarum figuris debitam satisfactionem consequatur. Non tantum etenim respectu*

E ul-

ultimi anni, quo moritur usufructuarius, hæres illius pecuniæ ad agros colendos à defuncto vel à semet ipso (si res moram non fert) impensæ deductionem facit; Verum etiam si forte hostili invasione ingruente tributa extraordinaria aut alios sumtus necessarios quantitatem fructuum exsuperantes usufructuarius erogaverit, hæres illius, antequam bonorum traditio præstetur, jure optimo restitutionem pecuniæ urget; imo si hæres usufructuarii ex quacunque alia causa proprietarium obstrictum sibi habet, jure retentionis, aut compensationis circa bona usufructuaria recte utitur *l. 5. l. 7. pr. §. 1. ff. solut. matrim. conf. Carpz. lib. 1. Resp. res. n. 11. Richter. p. 1. Dec. 20. in f. §. F. 2. Dec. 20. n. 28.*

§. XXVII.

Ex his, quæ fusiùs paulò deducta sunt, *Habnii* objectionibus, quas contra *Carpzovii* decisionem in medium protulit, sufficienter responderi, easdemque (ni nos omnia fallunt) penitus destrui posse arbitramur. Quamvis enim non omnia adversæ tantisper partis verba ordine strictè servato fuerint repetita; postquam tamen illa argumenta, quæ pondus aliquod habere videbantur, excussa fuerunt; consequens est, ut cæteræ rationes & adminicula, quæ levioris momenti sunt, elanguescant, & prorsus expirent. Quamobrem specialem disceptationem ut instituerem de *valore Decreti mantenentia*, quod à *Lucio* impetratum fuerat, necessarium visum non fuit. Existente enim vero & valido possessionis jure in hærede *Mariæ Werner*o per se patet, quod Magistratus suo decreto, sub quacunque etiam figura processus illud veniat, hæredi minime præjudicare potuerit. Ean-

Eandem ob causam controversiam illam: *Utrum jure moderno possessio ipso jure transeat in heredem, an non?* circa quam cum *Carpzovio* sententiam affirmativam novissimè tuetur *Dn. de Lyncker Decis. 57.* negativa verò sententia *Habnio* arrisit, conf. §. 18. Hanc, inquam, controversiam ulterius non excutiendam censui, quoniam demonstratum fuit, Jure Romano prætorio Jus Possessionis immediate, & citra apprehensionem naturalem hæredi competere, ut intra annum contra invasores, qui vel pro hærede, vel pro possessore possident, actionem possessoriam movere, & ad naturalem rerum apprehensionem pervenire queat. Quæ thesi stante, provocatione illa ad jus quoddam modernum, nec non omni, quæ de eo moveretur, disputatione supersedere possumus. Quocirca nihil superesse videtur, quam ut generali hac assertionem, *Quod in Judicio Possessorio Hæres Possessoris defuncti præferendus sit illi, qui sub prætextu alicujus juris bona quadam à defuncto hæctenus possessa jacente hereditate occupat;* disputationi huic imponatur

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Regula illa, quam tradit Paulus in *l. 3. ff. de A. l. A. poss.* *Possideri possunt, quæ sunt corporalia,* ex *Labeonis* principio

pio videtur promanasse, qui possessionem, prout jus est, & à possessione corporis separatur, non posse existere statuit. Verùm ab hac regula cæteri JCrī recesserunt, & in Servitutibus ceu rebus incorporalibus possessionem admiserunt. *conf. l. f. ff. de Servitut.*

II.

Per Constitutum possessorium habita tituli ratione non solum possessio, sed & proprietas transit.

III.

Si una eademque res ex titulo ad transferendum dominium habili alteri prius per constitutum possessorium, similemve traditionem fictam; alteri postea naturaliter fuerit tradita, is potior habetur, cui naturaliter res est tradita. Dissentit cum Tiraquello Brunnem. ad *l. 18. ff. de acquir. l. amitt. poss. n. 2.* conferatur tamen *l. 15. C. de Rei vind.*

IV.

Actionem ex Interdicto *Quorum bonorum* perpetuam esse cum Menoch. *Rem. I. adipisc. poss. num. 101.* Sichardo ad *Rubr. C. de Edict. D. Hadr. toll.* statuit Lauterbachius in *Compend. ff. b. t.* hanc vero actionem potius temporalem & annalem esse cum *Collectoribus Collegii Argentoratensis* asserimus.

S. D. G.







Leipzig, Diss., 1700/01


ULB Halle 3
003 242 528




82

V.17







5.
1700,9a
11

Da Domine Incrementum!
RESOLUTIONEM
QUÆSTIONIS JURIDICÆ,
UTRUM ILLE,
QUI SUB PRÆTEXTU ALI-
CUJUS JURIS BONA QUÆ-
DAM A DEFUNCTO HACTENUS
POSSESSA JACENTE HÆREDI-
TATE OCCUPAT, IN JUDICIO POSSESSORIO
SIT PRÆFERENDUS HÆREDI
POSSESSORIS DEFUNCTI?

MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS
Indultu,
PRÆSIDE
CHRISTOPHORO SCHREITERO,
J. U. D.

Placido Eruditorum examini
submittit

AUTOR
JOHANN Gottlob Hennichy/
Budissa Lusatus,

Ad diem V. August. M DCC.

LIPSIÆ,
Typis IMMANUELIS TITIL

11.

